Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

December

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library

j. 5. 64.

DECEMBER.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Maximilianus &c.

471° Ep̄o Varadien̄.

Quod iamdudum animo nobiscum uoluimus, De exequijs S. Cæs.ae Mtis Parentis n̄ri amantiss. augustiss. et feliciss. me: pro iusta in eius manes pietate agendis, institutū, quia breui tandem prosequi omnino statuimus, ac proinde de hoc, quos illis interesse uolumus Ex prouincijs n̄ris singulos iampridem monuimus: sane, quod reliquū modo esse animaduertimus, ad funebrem Orationem eodem in actu in æde S. Stephano Sacra huius Vrbis Cathedrali quà funus eiusdem Diui Imperatoris è Sacello Arcis n̄ræ Viennen̄ primum deducetur habendam, T. Dem delegare potissimū nobis uisum est, quod eius tam eruditionem et eloquentiam, q̄ graue maturumq; ualdè iudicium cognitum probè teneamus. Ad id igr munus obeundum ut T. D.o ad festa Christi Natalitia sese com̄odius p̄paret, ipam nunc quidem per benignè admonitā maturius uolumus

mus, certum etiam tamen diem, quo actus ille instituendus est, tibi sigillatim significaturi, Aget in hoc T. D. ex solito suo in Nos obsequendi studio, quod Clementia nra agnoscendū libenter amplectimur. Datæ Viennæ 3 Decembris Anno M. D. LXIIII.

472°

Ad Cardinales Moronum & Borromeum

Maximilianus &c. Demandauimus quædam Magnifico dilecto Nobis fideli, nostro apud S. D. Pont. max. Oratori cum R. P. V. comunicanda, quæ ad Abbatis Brisegni dignitatem iuuandam pertinent, In ijs ut eadē V. R. P.tus non fidem solum referenti solitam habeat, sed et suo nobis gratificandi uetus studium # amanter ~~ostendat~~ declaret, beneuolè cumprimis cūprimis cupimus. Valeat R. P. V. feliciss. Datæ Viennæ VI.ta Decemb. Anno M. D. LXIIII.

siquidem aliquando animum ex S. D. P. M.o senserit nouos Cardinales deligere

Summo Pontifici

473°

Beatissime in Christo pater &c. Referet speciatim quædam Vestræ Sanctitati Mag.cus fidelis nobis dilectus, noster apud ipsam Orator Prosper Comes ab Archo, q̃ in mandatis à nobis singulariter habet, in Abbatis Brisegni fauorem. (quatenus eum Vr̃a quòq; S.tas eiusmodi esse animaduerterit, qui apud Nos p̃dicatur, et alioquin animum habet nouos Cardinales deligere.) nostro noĩe cum Vr̃a S.to agere. Ei igitur, Vra S.tas ut in cæteris, ita in hac quòq; re benignas aures p̃bens, fidem ut habere, ac in eo solitum suum erga nos paternũ fouorem declarare uelit, reuerenter cumprimis petimus. Deus altissimus Vestram S.tam Ecc.tiæ suæ Christianæ cõmodo et saluti multos annos super uiuentem feliciter conseruet. Datæ in Viennæ Austriæ VII Decemb. Anno &c. 64.°

Manu Imperatoris propria l.ris
ad Pont. Max ascripta.

Beatissime Pr̃, Singulare in hoc, et insigne acceptum à S.to Vestra paterni amoris offitium, Summa animi gratitudine agnoscemus.

Literæ

474°

Literæ patentes pro Erasmo Bou:
teille, cantore Cæsareo.

MAXIMILIANVS &c. fideli nobis di:
lecto Erasmo Bouteille, qui in Sacello nro aliquot atinos
canendo nobis fideliter seruijt, iam Clementi nra uenia
patriam Inferiorem Germaniã repetituro facilius et se:
curius iter esse Clementer cupientes. Vos uniuersos
et singulos. &c

Datæ Viennæ VIII.a Decembris Anno ꝑ M.D.LXIIIJ.o

Maximilianus &c

475°

Oratori Romæ

Etsi difficulter inducimur, ut S.D. Pont. Max.m
Superuacaneis cõmendationibus facilè interpellemus,
de promouendis ꝑsertim ad Cardinalatus dignita:
tem ijs, qui tanto muneri rectè obeundo minus fortassè
Sufficiant:

sufficiant: id tamen de S. S.tis confidenter nobis pol:
licemur, si quando ipsi pios, religiosos ueræ aman:
tes, probis inculpatisq; moribus, eruditione pruden:
tiaq; spectatos viros tam ad hunc, quam eiusmodi ali:
os honores et dignitates euehendos commendari à No:
bis accidat, S. S.tem pro ueri paterno suo in Nos ani:
mo minus grauatè à nobis suscipere.

Quandoquidem igr hoc tempore Abbas Brisegno eiusdē
S. S.tis apud Ill.um Florentiæ Ducem Nuncius, multorū
insignium virorū testimonio, talis nobis esse constanter
comprobetur, in quo virtutum illarū plures eq; animaduer:
tantur: Ex insigni pterea et nobilissima familia, suam
(quod ipsi quoq; nouimus:) originem deducat, sint ira
etiam in aula, primi ferè nominis, aliquot affinitate et
sanguine illi proxime coniuncti, qui pro ipso in primis
aut et singulariter Magn.us et Generosus dilectus nobis
fidelis Vratislaus Baro à Bernstain ꝛc. noster Ca:
merarius et supremus Scutifer ꝛc. summè nos hoc no:
mine orarunt et intercesserunt: Nos sanè eximiæ
illi ira benignitati et fauori, quo eundem Abba:
tem eiusq; cognatos speciatim fouemus et comple:

ximur

ctimar, deesse minime potuimus, quin illum de meliori nota
S. S.tis commendatum efficere toto animo contenderemus, ne
S. S.tas in proximo nouorum Cardinalium delectu à se suscipi:
endo eundem ullo modo perire uellet. Qua propter
hoc modo singulariter tibi mandamus et committimus, ut his
acceptis, S. S.ti conueniendae quaesita quamprimum occasione,
eidemq; redditis, quas hisce coniunximus, fidei literis, eius:
modi iamdictum nri animi desyderium, et ex quibus hoc pro:
ficiscitur, rationes singulas iam commemoratas, ex solita tua
fide et accurata sedulitate exponas, et omnes eximiae studij
et industriae tuae facultates apud ipsam, nro nomine sata:
gendo adhibeas, quibus S. S.tem permoueas, ut in hoc eo:
dem uiro (si sua quoq; S.tas eiusmodi illum esse qui poti:
catur, deprehenderit, dignusq; tanto muneri habebitur.)
proximis Cardinalium Comitijs deligendorum, si modo ali:
qua eius S.ti instituere est animus, inclyto illi coetui asci:
bendo, suam pristinam honorandi Nos et gratificandi
uoluntatem nobis paternae comprobatam relinquat.
Fore autem id testaberis ita nobis exoptatum à SS.ta
ut inter caetera complura eius erga Nos beneuolen:

tiae

tiæ affectus synceri signa, digno loco repositum, grata memoria simus id recolituri, pter quod filiali nostræ obseruantiæ et reuerentiæ, qua S^am S^tam continua prosequimur. plurimùm ex hoc sit accessurũ.

Mittimus pterea in eundem cum hisce fasciculum coniectas alias etiam literas fidei duobus illis Cardinalibus reddendas, quos itidem abs te conuentos, atq; eadem de re authoritate et fauore suo, ea ratione ut suprà memoratum est, pro viribus adiuuanda et prosperanda nostro nomine studiosissime compellatos singulos uolumus, Polliceberis autem illorum R^mis Pater^bus quicquid in hac consequenda operæ et studij, pro sæpedicto Abbate nobiscum interposuerint, Nos irrecompensatum, mutua Veri amoris et beneuolentiæ testificatione nulla occasione esse ptermissuros: Et certè adeousq; nobis cordi omnino est sæpedicti Abbatis hac ratione adaugenda dignitas, quæ psertim eiusdem quoq; Consanguineis, ex his supradicto Vratislao Baroni à Bernstain, cuius in fauorem multũ planè hac in re uolumus, decori et ornamento esse perpetuò possit, ut singularem in id

hominem

hominem ex nostris isthuc haud grauatè delegas:
semus, nisi iam cum in tua nobis dexteritate, et a:
gendi istiusmodi res comprobata plus satis pru:
dentia, fidei, tum in S.mi D.i Pont.is Max.i propenso
in Nos animo spei tantum positum esset, quæ
efficit, ut eiusmodi studiosam intercessionem no:
stram recusatam à S. S.to iri planè nihil iam ue:
reamur. Quod si tamen adhuc necesse esse exi:
stimaueris isthuc aliquem propterea mitti, de eo,
et de negotij item successu quid spei habeas, et
si deniq; alia erunt, q̃ ad rem feliciter prosequen:
dam maximè futura cognoueris, ad Nos illicò et
accuratè perscribes. Nulla enim in parte de:
esse nobis statuimus, quarem eiusmodi pro uo:
to nr̃o curari et obtineri posse intellexerimus.
Facies aut̃ in hoc tu pro optima de tuo in Nos arden:
ti obsequio suscepta nostra opinione, et ex nr̃a
benignissima uoluntate, quæ tibi aliogum propẽsissimi
haud dubiè singulariter testabimur, te gratissimũ
nobis p̃stitisse obequiũ. Dat. Vienæ VIII.a Decemb. 64.

Decretum

476

Decretum per Imperatorem die viii Decembris Anō 2d. lxiiii. pro Don Diego Manrique de Mendoza

Sacra Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus, perbenigne significari iubet Domino Don Diego Manrique de Mendoza Augustissimæ Imperatricis Aulæ pfecto: Quā: q̄ sua Mtas omni illum benignitate complecteretur, ac proinde quæ ille in hisce annexo supplici libello petijsset, quantum res ipsa ferret, clementi planè animo libenter annuisset: Animaduertere tamen suam Mtam eiusmodi petitionem nō solùm nouissimi Tridentini Concilij Decretis non consonam, Verum etiam singulares quosdam in hoc statutos esse Canones, qui omnino illam tollunt. Quando igitur sua Mtas etiam in hunc usq; diem à S. D. Pont. Max. nec quicq; antehac petijsset Decretis illis tantopere repugnans, uel etiam ab alio quoq; Regum totius orbis Christiani simile unq; petitum fuisse audijsset: nollet sua Mtas se primam esse, pdicari, qui in eiusmodi primario etiam articulo Concilij Decretis tam expsse derogatum cuperet: Atq; adeò non sanctæ solùm Sedi Apostolicæ, sed et

cæteris

cæteris Christiani Orbis primatibus ansam non obscu:
ram præberi, uariè et minus dextrè de sua Mtis sentiendi:
præter quòd idipsum Serm̃i Hispaniarum Regis Catholi:
ci Vniuersali de constanter et seriò seruandis supradictis
Decretis publicato per omnia eius Serm̃is Regna Edicto,
adeousq; aduersetur, ut eius Serm̃is de sua Cæsarea Mtis
proculdubiò grauiter conquerendi suppetitura esset mate:
ria, si sua Mtas in eiusmodi Edicti præiudicium hac ali:
aue ratione in regnis eiusdem Serm̃i Regis, Dispensa:
tiones imponendas impetrare contenderet. Hæc et
alia complura absurda hinc subsecutura eit euitentur,
sua Mtas petitas à supplicante literas cōmendatiti:
as ad Sum̃um Pontificem concedere non potest: de hoc
benè certa, ut maximè illas de meliori nota etiam con:
cessisset, apud eius tamen Sanctum nihil planè fuisse
profuturas.

Maxnnilianus &c.

477° Comiti Prospero ab Archo.

Ad instantiam nonnullorum familiarium nostrorum sup:
plicationem permotisumus, ut proximis nris literis suæ
S.ti Abbatem Brisegno impensius comendaremus, eamq;
tandem rem S.tæ suæ uoluntati ac iudicio liberam re:
linquimus, etsi aut non dubitemus te ex illis literis ac
multo etiam magis ex ijs, quas ad eius S.tem et te ipsu
iam satis multas de promotione Epi Pharen. dedi:
mus, quid re uera animo insideat nro, ac quid no:
bis præpue in hoc negocio curæ sit, perspectum faci:
li habere possis: tamen ut subinde magis ac magis
Nos etiamnum eandem mentem et ueterem Volunta:
tem in promotione Epi Pharen. exoptanda retinere
certo scias; mittimus tibi, præsentibus adiunctum lite:
rarum nostrarum ad eius S.tem exemplum, proinde
tametsi non dubitemus te optime memoria tenere
quid tibi de hoc ipo Epo in Cardinalium coetu
cooptando, iam sæpius mandauerimus, tamen
per hanc etiam occasionem denuo tibi ex super:
abundanti mandamus, et serio iniungimus, ita
cum eius S.te agas, atq; omni studio ac diligentia

officias

efficias, ut quod iam promisit, id reipsa confestim
ipstet. Illud autem in primis omni ex parte suma
cura cauere te opportet, ut nullis uerbis aut alia
cuiusuis commendatione S.tis eius, aut quenq̃
ex Cardinalibus uel te ipsum adduci patiaris,
ut propter nouam dicti Abbatis, aut ullius al:
terius hominis comendationem, etiam nostra ma:
nu ascriptis uerbis comprobatam, ne minimu qui:
dem Nos de pristino nostro studio ac desiderio,
quo ut Pharen, sine dubio in proximi futura Car:
dinalis creetur, remisisse, imo uero omnibus per:
suasum esse uolumus, eam nobis expectationem
ita animo insidisse, ut eius S.tis certis promis:
sis freti, uehementer etiam atq; etiam cum quam:
primum Cardinalem uidere cupiamus. Quod
ut cito consequamur, te omni studio ac diligen:
tia, et qua nobis debes fide, apud eius S.tem
nomine nro perfestinum esse confidimus..
Id autem ut facias iterum atq; iterum tibi
serio mandamus. Adiunximus his etiam ad

R.mos

Rmos Cardinales, Moronum, Borromeum, Altemps, eadē dere literas, quas postquam illis reddideris, accuratè cū eis de Epi dicti promotione agas, eosq; de mente nra abū de edoceas. Feceris in hoc ex nra benigna uoluntate, qua in te singulari semper propendemus. Datæ Viennæ Xa Decemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.

Cardinali Borromeo

4780

Maximilianus &c Quanto studio tum Cæs. Mtus pie me: Dnus et Genitor noster obseruantissimus, tum Nos ipsi ab eius Sti frequentissimis nris literis flagitauerimus, ut Epum Pharen. Virum de Sta Sede Apostolica optimè meritum, nobisq; ob eius singulares uirtutes probatiss. et gratiss. Cardi.lem crearet, Ptus Vra optimè nouit. Cuius etiam operam ad eam rem consequendam, magno nobis usui fuisse non dubitamus. Nunc uerò cum eius Stus tum alias per Oratorem nostrū, tum etiam literis suis, psertim uerò XV Julij datis, ac manu eius Stis exaratis sanctè nobis affirmauerit

illam

illam sine aliquo dubio Cardinalem creatum iri, et iam nimibi ad id, quod tantopere expetimus, re ipsa consequendum superesse uideatur, nisi ut eiꝰ S.tas primo quoq; tempore tam certi promissi sui admoneatur. P.tem Vrām R.mā beneuole rogamus, uelit nr̄a causa sedulo curare, ut iam tandem nr̄i uoti compotes reddamur. Certo enim sibi persuasū habeat Nos ob uarias causas, quæ Pater.ti Vr̄æ non possunt esse ignotæ, huius Ep̄i promotionem in primis et ante omnes alios quouis nomine uel tempore per nos commendatos ex animo sumopere optare, factura est in eo P.tas V. R.ma nobis gratissimam cuiusq; grati ac memores in perpetuum futuri sumus. Datæ Viennæ x Decemb. Anno M.D.LXIIII.

479° Cardinali de Altemps

Maximilianus &c Arbitramur Pater.tem Vr̄am R.mā ex ipsa S. S.te cumulate intellexisse, quam uehementer

uehementer, et quam sæpe, quantoq; studio, tum Sac.ª Cæs.ª M.tas piæ memoriæ, Dnus et genitor nr obseruantissimus, tum nos ipsi apud eius S.tem laborauerimus, ut Reueren. Epum Pharen. in prima promotione Cardinalem crearet. Rationes etiam quibus adducti sumus, ut id tantopere expeteremus, ipsa per se pro suo iudicio animaduertere potest. Nunc uero cum S.tas eius eam nostræ petitionis rationem habuerit, ut tum per Oratorem nostrum, tum etiam scriptis ad Nos suis pollicita sit, se in prima promotione desiderio nostro esse satisfacturam, et propè adesse tempus creationis Cardinalium existimemus. P. V. R. beneuole rogamus, ut oi studio ac diligentia, ipsa quoq; nostra causa apud eiꝰ S.tem ita laboret, ut iam tandem S.tas eius nræ expectationi, et suis promissis satisfaciat, neq; persuaderi sibi patiatur ullam cuiusuis hominis, quocunq; etiam noie uel tempore per Nos comendati promotionem ita nobis cordi esse, ut pdicti Epi Pharen., qui nobis ob eximias eius uirtutes meritò, et gratissimus et probatissimus

esse

esse debet. Factura quidem in eo est Pater.tas V. R.ma rem nobis ex animo optatam, cuiusq; memores ac gratos benignitate nostra Cæs.a nos probabimus, ut plenius quoq; Pater.tas Vra R.ma ex Oratore nostro cognoscet. Dat. Viennæ x Decembris Anno &c. M.D.LXIIII.

480

Cardinali Morono

Maximilianus &c. Non dubitamus Pa.tam V. R.am optime memoria tenere, quam frequentes ad eius S.tam tam S.C. M.tas piæ memoriæ Dnus et Genitor noster obseruantissimus, tam Nos ipsi in primis, literas de Epo Pharen. in Sacro Cardinaliu Collegio adsciscendo dederimus. Quod quidem quibus de causis tam ardenti studio efflagitauerimus, iam antea sæpe explicauimus, et P.V.R. pro sua prudentia per se satis intelligere, nobis persuasum habemus. Nunc uero, postquam ad tam frequentes nostras petitiones, certo nobis polli-

bis pollicita est eius S.tas dictum Pharen. in prima pro:
motione Cardinalem creatum iri, et nihil iam amplius su:
pereſse uideatur, quam ut, quod tam diu in optatis et
expectatione habuimus, reipsa et sine ulteriore mora
consequamur. Et si nihil planè addubitemus, quin eiq
S.tas ita se in eare gerat, ut nos in promissis eius fi:
dem neutiq; simus desideraturi, sed nobis iam certò
pollicita est, sanctè sit ꝓstatura; tamen ꝓtermit:
tere noluimus. quin V. P. R.ma obnixe rogaremus, ut
si quam re nobis gratificari cupit, ita huius rei curà
toto animo complectatur, et eius S.tas intelligat ni:
hil nobis aut prius at optatius esse, quam ut dictu
Pharen. quamprimu Cardinalem pronunciet. Que
quidem Pharen. promotio ita nobis cordi est, ut nul:
la magis aliâ esse possit. Quod etsi P. V. ex no:
stris ad se, et ex ijs literis, quas ad eius S.tem et
mandatis, quæ ad Oratorem nrum sæpe iam de:
dimus, plenius intelligere potuit, tamen idem nunc
quoq; denuo repetere uisum est, ne tanti temporis

intervallo

interuallo, et huius promotionis cunctatione, uel quibuscunq; alijs nostris comendationibus, in eodē etiam negotij genere emanatis, in eo ornando studium ulla in parte restrictum esse, sed magis ac magis in dies augescere persuasissimū habeat, Viennæ X.a Decemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.o /

481°

Idem ad Sumum Pontificem

Beatissime Pater &c. Proximis nris ad S.tem Vrām literis eorum pcibus adducti, qui fidelem nobis et diligētem operam nauant, ꝑtermittere non potuimus, quin S.ti Vræ Abbatem Brisegno comendaremus. Quod quidem S.tem uestram in bonam partem interꝑtaturam planè confidimus, ꝑsertim cum nos rem hanc integrā S.tis Vræ iudicio uoluntati ac prudentiæ relinquamus, nec uelimus hac in re, nisi quod ex Reip. Christianæ comodo, et Sacri illius Collegij dignitate S.tis Vrā futurum esse iudicauerit. Ac quoniam

S. Cæs Mp.ius

S. Cæs.ª Mtas piæ memo: Dominus et Genitor noster ob:
seruantiss:, et Nos frequenter, non sane ullius hominis
precibus et efflagitatationibus, sed nro iudicio ac uo:
luntate et sponte adducti, Rᵒ Epum Pharen. cuius
pclaras uirtutes et merita probe nouimus, de me:
liore nota et enixe commendauimus, ne noua hæc
dicti Abbatis comendatio, tametsi nostra etiam manu
uerbis ascriptis comprobata, eo pertinere uideatur,
ut quicqz aut difficultatis, aut impedimenti di:
cti Pharen. promotioni adferat, quandoquidem
Nos Stis Vræ certis promissionibus et ea, quæ
inter nos, coniunctione freti, nihil omnino ad:
dubitemus, quin Stas Vra in prima promotione,
quod nobis sancte pollicita est, certo sit pstatura,
et pdictum pharen. Cardinalem creatura. Tamen
quoniam ea res nobis tantopere cordi est, non potui:
mus nobis temperare, quin per hanc occasione
hoc quoqz reuerenter adiungeremus. nos non so:
lum eiusdem ee animi, ut idem Pharen. omni:

no Carlis.

no Caz.lis creetur, sed in dies et in horas, magnum il-
lud eius promotionis quamprimũ adipiscendæ desi-
derium maiorem in modum, in animo nro augeri
Rationes, quæ nobis animo insident, ut identidem
frequentissimis literis ardentiq; studio efflagi-
temus, cunctationesq; iam tandem auferri opte-
mus, antea perscripsimus, et S.tus Vrã pro sua
singulari prudentia iam satis cognitas habet.
Restat itaq; ut S.tus Vrã diuturni honestissimiq;
desiderij nos uoti compotes reddat, quam Deus
æternus diu foelicem atq; incolumem tueatur.
Vienna X.ma Decemb. Anno ꝓ M.D.LXIIII.

482°

Literæ passus pro Christophoro
Mantano destinato Ser.mor Austriæ
Archiducũ Rudolphi et Ernesti
Sacellano

MAXIMILIANVS &c. Honesto fi-
deli nobis dilecto Christophoro Montano, destina-
to à nobis Ser.mor Austriæ Archiducum Rudolphi
& Erne-

& Ernesti filiorum nostrorum Sacellano, cui, quod Diuo Ferdinando Imp. augustiss. me: parenti iuo amantissimo summa et fide et obsequendi ardore aliquandiu seruierit, benignitate nostra libenter sane adsimus, in Hispanias nunc abeunti comodius etiam et tutius iter nostra authoritate et benignitate effici clementer cupiamus. Vos igitur &c. Datae Viennae xi Decembris Anno &c. M. D. LXIIII.

483 Literae passus pro Don Aluaro de Sande.

Maximilianus &c. Magno Syncero nobis dilecto Don Aluaro de Sande una cum Vxore et familia sua profectionem hinc suam Venetias instituenti, ut de ceteros optime fauemus, ita in hoc quoque itinere conficiendo fauore illum nostro adiutum benigne cupimus. Vos igitur Vniuersos et singulos

Vt pfatum Don Aluaro, una cum comitatu suo quadraginta quinque Equorum, quadrigis, item lectica, reliquisque omnibus, quos secum fert, sarcinis, progredi permittatis, atque ab alijs etiam permittendum curetis

tis, omniq; ea ratione, equos p̄sertim et currus, cum opus habuerit, p̄ciumq; conueniens pro illis detulerit, com̄odando iuuetis atq; prouehetis, quæ ad prospe: randam et maturandam eius suorumq; profectionē fecerit. &c. Datum Viennæ XI.ª De: cembris Anno ꝯ M.D.LXIIII.º

484°

Regi Hispaniæ

Maximilianus &c Compellari Nos per amanter cu: rauit Ser.mus Princeps, Poloniæ Rex ꝯ frater et consanguineus noster chariss; ut in mutuo illo, qua: dringentorum et triginta millium ducatorum Vr̄æ S.ti iamdudum à se p̄stato, cuius nomine ab eadem inscriptum et designatum sibi habet Telonēum in Rēgo Neapolitano Dozana Foggia uocatum, à Vr̄a S.ta minus grauatè consequendo partes. quod ipsam no: stras et authoritatem beneuolè interponeremus. Quando igitur id eiusmodi est, in quo nos qui: dem fraternum nostrū amorem et beneuolen:

tiam

tiam eius Ser.ti declaratã cum primis cupiamus, Vr̃a
aũt Ser.tus sponte etiam prosequendo libenter pro=
culdubio sit affictura: rogatum sane Vestram Ser.tem
maiorem in modum uolumus, ut nostro etiam quid
fauori tributum in hoc uelit, suisq; accuratissime
mandet atq; serio iubeat, ne, iamdicta summa il:
la, ex eo loco, ubi solucionem eius Ser.ti statutam
esse supra diximus, diutius ab illis exoluenda dif:
feratur. Exhibebit in hoc Vr̃a S.tus, siquidem apud
se nr̃a hac com̃endatione quod petimus, effici patie:
tur, p̃clarũ fratris uerè amantis erga nos officium
ita nobis gratum futurum, ut speciatim id mutui
nr̃i fraterni amoris officijs quibuscunq; nulla non
occasione demereri apud Vr̃am S.tem simus enixuri.
Quam Deus im̃ortalis Reipub.cæ Christianæ felicissi:
mam multos in annos superuiuere uelit. Datæ Vi:
ennæ XI.ma Decemb. Anno M.D.LXIIII.°

485° Regi Poloniæ

Maximilianus &c. Magnificum syncere nobis dilectum Stanislaum Volsky V. S.tis Castellano Rauense pro prudentem sane et grauem uirum, ad nos à V. Ser.te missum Oratorem et libenter toto eo, quo nobiscum fuit tempore, uidimus, et, cum p̄terea suæ in rebus agendis dexteritatis p̄claræ fidei, et sedulitatis, insignia de se nunc etiam nobis dederit indicia, beneuolentia illum n̄ra, qua eam iamantea complecti coepimus, porro etiam constanti prosequimur. Ei nūc isthuc redeunti uicissim quædam V. S.ti n̄ro nomine referenda com̄isimus, in quibus solitam ei fidem ab ipsa V̄ra S.ta haberi peramanter cupimus, Valeat eadem S.tas V̄ra feliciissime. Datæ Viennæ xii Decemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.

486

Decretum per Imperatorem xiiii Decemb. Anno ꝛc 64 de Religione Ciuitatis Tirnauiensis.

LXXX.

Sac. Cæs.a M.tas Dominus noster Clementissimus fidelium suorum dilectorum Ciuitatis Tirnauiensis quærelis ad se delatis motus R.mū Dominū Archiep̄um

Strigonien-

Strigonien. scriptis ad eum literis Clementer et serio cohortata est, ut posthac moderatioribus omnino in Religione ea in Vrbe reformanda siue instituenda rationibus utatur, neq; quicq; durius eisdem de cætero imponet: Id quod nunc quidem Eadem sua Mtas Communitati illi declaratum hoc decreto benigne uoluit./

487°

Literæ passus pro Bernhardo Comatæ./

MAXIMILIANVS &c. Omnibus & singulis &c. Qui has feret, Bernhardo Comatæ fideli nobis dilecto patriam hinc abeunti iter expeditius esse cupientes. Nos ab eorundem Dis. Deuot. et à cæteris amanter beneuolè, et benignè petimus, et uolumus ut eundem Bernhardum, illæ quidem in suarum ditionum finibus et Territorijs, hij vero in ijs terminis quorum ipsis demandata est administratio uel pfectura, tàm naui quam terra euntem et redeuntem liberum et immunem ubiq; transire permittant. Quod ab illo &c. Datum Vienæ XIIII Decem: 64°./

Maximilianus

Maximilianus &c.
Adamo à Dietrichstain

488°

Quanq̃ à Nobis et à Serenissima Coniuge nr̃a Ser.mo Principi Regi Catholico fratri et patruelis nr̃o char.mo semel atq; iterum singulariter per lr̃as iampridem com̃endatus est Nobilis noster et Sacri Imperij fidelis dilectus Ioannes Iacobus Fuggerus Baro à Kürchperg et Weissenhorn, ut quæ ipsi Ex eius Ser.tis ærario debetur pecuniæ sum̃a, quæ triginta duarum millium et quingentarũ librarum Flandricarum numerum Anno M. D. LVII, attigerat, absq; illius maiori dispendio ab eius Ser.te exolui tandem iuberetur: Intelligimus tamen hanc ab illo etiam in hunc usq; diem magno sane rerum fortunarumq; suarum incommodo desiderari, atq; ei moræ causam nonnullam dedisse, q̃d à nobis alij etiam Creditores pari propemodum com̃endatione apud eius Ser.tem

adiuti

adiuti interea fuissent. Quoniam autem is nobis semper fuit animus, ut nulla pro quoquam alio interposita à nobis intercessione ei, quod pro ipso Fuggero, primum ab eius S.te petijmus p̄iudicatum uel derogatum quicq̄ uellemus: sed uti ille p̄ cæteris omnibus, de Diuo quondam Carolo V. Imp. Augustiss. memo: patruo et Socero nr̄o amantissimo, et eius quoq̄ S.te quam de tota reliqua nostra Inclyta Domu Austriaca, diuturnioribus, p̄stantioribus et gratioribus officijs et obsequijs bene meritus esset, ita etiam p̄ eisdem Suæ S.te uel in hac re charior et commendatior nonnihil haberetur. Equidem minime grauati sumus eidem Fuggero maiori p̄sertim indies accrescente hinc rebus suis iactura grauiter perculso, ac proinde iterato se hoc nomine apud eius S.tem com̄endari suppliciter expetenti, nunc quoq̄ apud eius S.tem, apud quam ille ob uere fraternam, quæ inter nos est et eius S.tem, sanguinis coniunctio, nos maximum confidit omnino posse effi:

cere

cere, Clementer adesse, comendatumq; impensius etiã
reddere. Id igitur tibi nunc quidem benignè cumpri:
mis demandatum uolumus, ut eius S.tis redditis quas
hisce addidimus propria manu scriptas, fidei literis
pro solita tua sedulitate pterea nro noie exponas.
Petere nos ab eius S.tis etiamnũ, quam possumus aman:
tissime, ut, (qua ratione potissimum rei suæ sæpe:
dictus Fuggerus, nullo etiam eius S.tis incomodo,
consuli posse sentit.) Sua Ser.tus sumam illam de:
biti totam soluendam ipsam se suscipere uelit,
eo modo, ut seducta ratione intra senas aut Octo:
nas Nundinas in Hispanijs, uel in Inferiori Ger:
mania totidem nundinis distributa fiat pdicto Fug:
gero solutio: Vel mandet Illu. Dominæ Marga:
rethæ suæ in Inferioribus Germaniæ prouincijs
Gubernatrici, atq; ibidem Consiliarijs ac Quæsto:
ribus, eadem Sua Ser.tas serio ut rationem cũ
illo seperatim ineant, neq; inter cæteros credito:
res uulgariter mixtum reijciunt, atq; adeo in so:
lutione faci:

lutione facienda ipsum eisdem omnino pferant: Et ut summatim dicamus, quod cupimus, ut sua Sex.tus Clementer velit pro hoc eodem Fuggero, quam pro cæteris, interpositam comendationem nram qualemcunq; maiores fructus omnino habere, atq; ut solutionem is debiti sui maturius, quamilli omni modo consequatur, Clementer efficere.

Benigne certe et inter singulariter charos nobis Vir ille habetur, ac proinde adiutum hac in re summe cupimus, ob priuatum maxime eius de Repub. bene merendi desyderium, Quo maioris igitur momenti esse hanc nram benignissima plane ex uoluntate profectam intercessionem sua Sex.tus passa apud se fuerit, eo plus nos uere illi fraterno eius in Nos amori et syncerae animi propensioni debere nos libenter fatebimur, neq; unq; memoria nobis excidet hac eiusdem S.tis sua gratificandi nobis significatio, quin mutuis grati animi officijs abunde aliquando à nobis compensetur. Haec et si quae alia tua tibi suggerit prudentia, ad negotium hoc facilius prouehendum conductura Suae S.tis singula referes, studio insuper et opera tua adhibita

bita impensissima, rem quoq; modo, pro solita tua in nos fide et dexteritate iuuare contendes. Feceris in hoc dignum tuo ueteri nobis obsequendi studio, et ex nostra benignissima voluntate, qua in te constanter propendemus. Datæ Viennæ .XV. Decemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.

Maximilianus etc.

489 Cassandro

LXXXI. Expectamus etiamnũ percupide abs te opus illud religionis negotium attinens, quod tibi conscribendũ iampridem demandauimus, Et quæ tandem moræ causa subsit, quod id non solum ad nos non mittas sed etiam de eo quid saltem succedat, necquicq; adhuc nobis significes, ualde admiramur. Quando cũ res eiusmodi est, quæ nobis in dies magis curæ sit et sollicitudini, quamq; proinde diutius differri incommode plane ferimus: Sane te his et iterato hortatum Clementer uolumus, ne expe:

ctatione

ctatione tanta nos porro distineas, sed si non totum iā
potes absolutum, saltem quantamcunq; paratam ha:
bes operis partem, subito hisce acceptis, per singulare
nuncium nostris sumptibus Spiram, Egregio f. n. d.
Georgio Lang, cui hæc atq; alia, q̄ deinceps huc missu:
rus es, ad nos transmittendi curam dedimus perfe:
rendam cōmittas. ac p̄terea in reliquo ēt operis per:
ficiendo quantacunq; potes maturatione et sedulitate
insudes, atq; inuigiles, ut et ipsum eadem ratione ad
nos tandem transferatur. Ea aūt in re, quo expedi:
tiorem te senserimus, eo gratior nobis futurus est la:
bor et opera tua, quam sanè, tam necessaria p̄sertim
in re et à nobis tantopere exoptata longius in te desi:
deratum iri minimè arbitramur, neq; nos eiusmo:
di tuum erga nos obsequendi studium benignitate
n̄ra irremuneratū unq; abire patiemur. Datæ Vi:
ennæ XVI Decemb. Anno p̄ M. D. LXIIII°

490° Maximilianus &c
Ep̄o Varadiensi

Ardetis tui nostro in obsequio studij iampridem nobis multifariam comprobati non leue et hoc fuit apud nos argumentum, quòd in oratione funebri, quam nro iussu in exequijs Diui Imp. Ferdinandi, augustissimæ me: patris nostri amantissimi hîc agendis recitaturus es, conscribenda tam sedulam, tamq; p̄stantem operam naueris. Quapropter etsi adhuc quidem legendi illius p̄ negotiorum grauiorum modo otium nobis nullum fuit, gratissimū certe et inprimis exoptatū nobis officium istud nunc quidē reddidit, ipsa maturitas et adeousq; tempestiua sedulitas. De ipsa oratione, uti nobis comprobetur, quidue de ea nobis uideatur breui quoq; ex nobis sigillatim scies: Neq; enim diutius illam apud nos detinebimus, ut memoriæ eā mandare cōmodè possis, Nunc autem hoc tibi de nobis tuto polliceberis, ista animi erga nos tui obsequentissimi propensione haud parū nram in te benignitatē accumulasse, quā ut aliqn̄ re ipsa comperias Clemēter efficiemus. Viennæ XIX Demb. Aº p̄ 1564.

Maximi:

Maximilianus &c.

491° Duci Ferrariæ

Nobilium nostrorum et Sacri Romani Imp. fidelium dilectorum Corigiæ Comitum ea est iampridem erga nos obseruantia et obsequendi propensio, ut uel ob hanc nobis chari acceptiq; multum sint, ac inde q̃ ipsis comodo esse possunt libenter quoq; prouehamus. Quando igitur tantum sibi in Dilg.mis Tuæ fauore et beneuolentia p̃sidij pollicentur, eaut T. Dilg.tio abundantiori et benigniori illos quacũq; porro occasione complecti et fouere libentius uelit, nos quoq; pro amicitiæ nr̃æ Veteris iure et coniunctione peramanter petimus; Id quod siquidem obtentũ senserimus à T. Dilg.ne summè nobis gratum accidisse mutua ueri amoris testificatione cum res feret, singulariter et̃ comprobabimus. Quam Deus sospitem perpetuò esse uelit. Datæ Viennæ XXII Decemb. Anno ꝯ M.D.LXIIII.°

Maximilianus &c

492

Epo Varadien.

LXXXII.

Lecta est nobis tandem Oratio tua funebris, quam in D. Imp: Ferd: augustiss: me: parentis nri amantiss: exequijs recitaturus es. Et quoniam in ea illarum partium, quibus dicta Oratio constat, nihil præterea à nobis desideratur, quod reliquum est, ut abs te eodem tenore, pauculis saltem quibusdam immutatis, quæ rectis subducta uides lineis, recitetur suo tempore, Clementer etiam comprobamus. Sunt aut illa potissimum, quæ emendata cupimus, Primum, Vbi Inclytæ Domus Austriacæ Domus origo à trecentis annis ducitur, ut indefinitis potius uerbis antiquitas eius longe maior, Vt re uera est, denotetur. Deinde ubi dicitur D. Ferdinando Imp. unanimi suffragio Romanorum Rex designatur, malumus pleno, uel quid simile, in Verbi (Vnanimi) Locum substitui.

Postremo Tridentinam Synodum eius authori-

tate

tate finitam p̄stiterit dixisse, quam coactam et celebratam.

Haec cum pro tua prudentia correxeris, nihil est quod de caetero non optimè nobis approbetur.

In isto igitur summo obsequij erga nos tui declarandi desiderio, tu modo constanter perges, De nr̄a in te benignitate plurimum accrescente nihil planè dubius. Datum Viennae XXII Decemb. Anno M.D.LXIIII.

493°

Imp̄ssorium pro Joachimo Mynsinger.

MAXIMILIANVS &c. Indefesso literariae Reip. iuuandae studio inductum, Instituisse sese supplex ad nos pertulit Nt̄, et Sacri Imperij f. d. Joachimus Mynsinger à Frundegk J.V.D. editum à se antea opus Singularium obseruationū Judicij Camerae Imperialis Centurios quatuor, emendatius et locuplerius multo, quam antea erat, p̄lo denuo demandare. In eo

enim

enim crebras earundem obseruationum repetitio:
nes sustulisse, nigz illarum locum nouas substituisse
Repugnantes aut omisisse, aut earum diuersitatis ra:
tiones subiunxisse et explicasse, obsuriores paulo
irresolutas declarasse euidentius et definijsse:
Obseruationum insuper inscriptiones reuidisse,
ac mutilas suppleuisse, Vereri tamen ne idem
opus alij etiam Typographi, pter eu, cui ipse com:
miserit priuato commodo deseruituri typis suis
initentur. adeogz ipsi Autori grauem impensa:
rum iactura causent, Orauit proinde à nobis
obnixe admodum, ut iamdictum Opus immunitate
et priuilegio Cæsareo, quo eiusmodi dispendij cau:
sa pcidatur comunitum et donatu benigne uelle:
mus. Quando igitur nos inter cætera Impera:
toriæ beneficentiæ munia haud postremo loco
incumbere nobis animaduertimus, ut ingenuos
eruditorum hominum labores pro communi
Rep: alacriter susceptos, ope et patrocinio
nostro iuuandos et prouehendos liberaliter
suscipiamus: Illius aut eiusdem Joachimi

Mynsingen.

Mynsingeri pter laudabiles eiusmodi conatus com:
plura insuper, eaq; pstantia de Repub: comium merita,
quae in Sacrũ psertim Imperium, cuius Cameræ Assesso:
rem annos aliquot egit, extant, nobis magnopere comen:
dentur. Sane petitioni eius Clementer acquieuimus.
Quare scientes deliberato et consulto ex ea, qua fungi:
mur, authoritate uerbis expssis inhibemus Vniuersis,
qui tam per Sacri Rom. Imperij, quam nobis heredi:
tario subiectas prouincias libris uel transuehendis et
distrahendis, uel excudendis negotiationẽ qualemcunq;
exercent, ne quis eorũ sæpedictum opus obseruationũ
Cameræ ab eo, quo id ita recusũ in lucem prodierit, tem:
pore in decenniũ usq; in ulla uel Sacri Romani Imperij
uel nrorũ Regnorum et prouinciarũ parte, eodem di:
uersoue charactere excudere aut excudenda cuiq;
comittere, uel alibi excusa afferre, uendere, distra:
here, siue publice siue priuatim ausit. Qui aũt spre:
ta eiusmodi inhibitione secus fecerit, ei prima ipe
Joachimus Mynsingerus eiusue Mandatarius exe:
plaria omnia, intra pscriptum tempus ab illo im:

pressa

pressa, licite et absq; omni controuersia auferat, sibiq; uendicet: dein mulcta etiam x̄ auri Marcharum irremissibiliter exoluendo imponetur. cuius una pars fisco nr̄o Cesareo, altera ipsi Mynsingero eiusue hæredibus cedet. Ita tamen ut idem Mynsingerus aliquot eius operis exemplaria ut primū edentur, Cancellariæ nr̄æ Latinæ deferenda assignet, alioquin et ipse priuilegio hoc nr̄o penitus excidat. Mandamus igr̄ Vniuersis insuper et singulis nr̄is et Sacri Rom. Imp. Subditis ac fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis quam Laicis, cuiuscunq; demum ordinis, status, aut conditionis illi sint, Magistratum p̄sertim uel Superiorū uel suo nōie agentibus, iurisdictionemue exercentibus, Priuilegium hoc nr̄um omni ex parte inuiolatum obseruari obseruandūue curent: Secus agentes, si quos animaduerterint, eos et p̄scripta à nobis mulcta et quacūq; alia ratione licita coërceant: alioquin et ipsi qui

scilicet

scilicet impunitos eiusmodi priuilegij nri contempto:
res dimiserint, eadem poena plectendi, nram pterea
grauem in se indignationem mouebunt. Quae rata
firmaq; esse nos omnino uelle literis hisce, nra et
manu, et Sigillo Caesareo signatis contestatum reli:
quimus Datae Viennae xxiij Decembris Anno
M·D·LXIIII°

Maximilianus &c.

494° Comiti Prospero ab Archo

Balthasaris Comitis de Castilione, qui Diuo Carolo Imp.
augustiss. me: patruo nro suma et fide et sedulita:
te diu inseruijt filius Magcus Syncerè nobis dile:
ctus Comes Camillus nra se authoritate et comen:
datione apud Illmum amicum nostrum chariss. Vrbini
et Pisauri Ducem in recuperando Nubilaria ca:
stro, quod eius Dilmi pater felicis: me: eidem
Balthassari libere quondam dono dedisset et ces:
sisset: sed occupatum postea sub restituendi condi:

tione

tione eius Dil^{ris} ipsi Camillo uti legitimo successori restituere etiamnum recusaret, iuuari atq; prouehi suppliciter à Nobis admodum expetijt: Quando igr eam nos familiam, uel ob sua merita charam plurimum habemus, quod hoc tempore operæ pcium in re eiusmodi felicius consequenda uisum est, tibi Clementer per hasce demandamus, ut nro noie cum eiusdem Ducis isthic Oratore ea de restitutione sedulo et ardenter cumprimis agas, negotiumq; eo deducere oi conatu contendas, ut per eundem Oratorem Duci declaretur, idipsum Nos quoq; peramanter cupere, et cum eius Dil^{is} in homines de se bene meritos, iter quos hic idem Camillus et pater eius bo: me: æquissime referendus uenit, beneficentia innata, et in æquitate uindicanda amor nobis perspecta probe sint, quin, obtenturi etiam simus in quo dicto Camillo fauemus, plane nobis polliceri, atq; id à Sua Dil^{ne} gratiss. nobis accessuru, mutuis amicitiæ nræ officijs declarare nulla occa-

sione

sione nos esse ꝑtermissuros: Negotij aut totius seriem ipe Comes Camillus dicto Duci copiosius referet, Tu modo et hoc ꝑnominato Oratori significa, eius hac in re operam apud herum suum interpositam, quo magis desideramus, eo Clementiori nos animo esse semper in ipso agnoscituros; Quicquid igr ad eiusmodi negotiu pro uoto sæpedicti Comitis prosequendum, studij et industriæ cōtuleris, id ex Clementi nra uoluntate facies, ac proinde inter cætera tua innumera eademq; fidelia nobis ꝑstita obsequia annumeratum Clementer à Nobis recoletur. Datæ Viennæ XXVIII Decemb. Anno ꝑ M. D. LXIIII.

Maximilianus &c.

495° Duci Vrbini

Ereptum fatis Diuum Ferdinandum Rom Imp: augustiss.

augustiss. me: parentem nrum amantissimum, quod
T. Dilg.e tantopere lugent, quantum et literae eius, et
quem in id ad nos misit, Vir spectatae cum fidei
tum prudentiae Petrus Bonauentura nobis sunt
attestati, est illud non pietatis solum summae in
defunctum uerum et ardentis T. Dilg.mi erga nos
iampridem declarati studij syncerae animi pro-
pensionis haud uulgare nobis argumento.
Quae sane eo gratiori et amiciori nos animo à
T. Dilg.ne accipimus, quo plus nobis solatij ex
ista peramanter communicato nobiscum dolore
haustum animaduertimus. Quod igitur in
nobis erit, ut optimae isti expectationi, quam
T. Dilg.mus in nra in Imperio successione, cui
proinde tanto animi affectu congratulatur,
posuisse sensimus, ne ueteri nro Remp. Chri-
stianam quoquo modo iuuandi desiderio
unq; defuisse deprehendamur, accersita in id
precibus indesinentibus Diuina bonitate, toti
plane incumbemus. Ista preterea T. Dilg.ne

uera

ueræ amicitiæ officia ita animo perpetuo recolemus, ut et ea optatissima nos habuisse, et nos mutuo amando eiusmodi T. Dilg.nis erga nos amori nulla in parte cessisse plenè constet. Valeat iucundissimè T. Dilg.nis multos in annos. Datæ Viennæ XXVIII.a Decembr. Anno &c. M. D. LXIIII.o

Tenor



Anni M. D. LXIIII.ti